



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvgensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1657

Cap. XIV. De aliis Ministeriis & gradibus Ecclesiasticis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

c. irri-
fragabili
§. ult. De
offic. ordi-
narii. c. li-
cei. de pœ-
ni. Gra-
vis que-
rela est
Conc. Pro-
vinc. Col-
lon. sub
Adol. ho
III. De of-
ficior. per-
functione.
medio 3.
ad refor.
§. tam
quod pas-
sim. §. 2.
segg. §.
medio 4.
seq.
Conc.
Trid. sess.
25. de re-
form. c. 3.
Conc.
Provinc.
Colon.
anno
1536.
p. 13. c. 8.
Stat.
Adolph.
III. sup.
cit.
Conc.
Provinc.
Colon. an.
1536. p.
3. c. 3.

beant: ¹ excessus Canonice puniant, ab omni avaritiæ sordiumque specie abstineant: pœnas pecuniarias (si quando aliæ non ita proficiunt) ad salutem tamen animarum referant, nec pœnitentiæ loco pecuniam emungant, neque vitiõrum correctiones, pecuniæ, muneris, aut alterius rei gratia dissimulent; ne subditi nostri pauperiores simul & deteriores fiant, aut spoliuntur magis quam emendentur. Quod si interdum Canonica sanctione, pecuniaria pœna aut decreta aut decernenda sit; ea in pios tantum usus, eo ipso quod exacta fuerit, assignetur; ne magis avaritiæ quam correctionis causâ extorta censeatur: serioque apud se reputent, nihil gravius Prælatos coram Deo accusare, quam si peccata, ob pecunias & munera, relinquunt impunita. In his vero omnibus observent, quæ tam à sanctis Canonibus, quam generalibus ² & Provincialibus ³ Conciliis optime sunt constituta.

C A P. XIV. De aliis Ministeriis & gradibus Ecclesiasticis.

Sunt deinde in Ecclesiis, præter Præpositos, Decanos, Archidiaconos, ⁴ diversi ministrantium gradus; nempe Scholastici, Cantores, Thesaurarii seu Sacristæ, Canonici, Vicarii, atque id genus alii. Interpretetur quisque vocabulum suum, & curet esse quod dicitur, secundum veterum Patrum institutionem & regulam: atque eo solo fecerint, ut vocationi suæ, & Nostræ ac piorum omnium expectationi, magna ex parte respondisse videantur.

C A P. XV. De Parochis, Sacellanis, Sacerdotibus, Vicariis & aliis Ecclesiæ Ministris.

Qvanta vitæ innocentia & munditiæ præditi, quanto zelo inflammati, quanta perfectionis Christianæ puritate conspicui esse debeant, qui alios mundare, accendere, & perficere cupiunt, quod Parochorum & Concionatorum, & eorum qui animarum curam gerunt, & universim Sacerdotum, Sacellanorum, Vicariorum, & aliorum Ecclesiæ Ministrorum, ⁵ qui populi peccata comedunt, seu publico Ecclesiæ stipendio sustentantur, proprium est, dum attenta mente consideratur, simul etiam facile animadvertitur, quantum in Nostræ Diocesis Pastoribus aliisque Ecclesiasticis desideretur, quos tam procul à vocatione & status sui obligatione discessisse videmus. Quorum omnium salutem & veram vitæ morumque conversionem, qua populo præluere, & illum in viam salutis reducere possint, cum ardenti desiderio sitiamus, nec quenquam abjicere, sed quantum fieri potest, præsentî necessitati mederi, & futuro periculo modis omnibus occurrere cupiamus; cum seria periculi statufque sui admonitione, invi-

tamus omnes & singulos, qui præcedentium temporum injuria atque incuria in quovis errorum aut opinionum labyrinthos, aut carnalibus nævos, prolapsi sunt, ut Nobis, aut Vicario Nostrò in Spiritualibus, ac illi adjunctis Theologis ac viris prudentibus & religiosis, pro instructione & suorum errorum revocatione & criminum abolitione se stant, & ad Dei gratiam & sanctæ Matris Ecclesiæ unitatem redeant. In quo omnibus & singulis, ad cor verè converfis & pœnitentibus, eam, quam hæcenus ceteri Curati experti sunt, gratiam & benignitatem Nostram offerimus; contra inobedientes, & statui Ecclesiastico conformiter non viventes, aliter processurum.

C A P. XVI. Ne Parochi sordida ministeria usurpent.

Nolumus vero, Pastores & Curatos rurales opera sordida & servilia subire, ita ut magis colonorum & rusticorum hominum, quam Pastorum & Ecclesiæ ministrorum speciem præ se ferant. In quem finem intendimus, quantum fieri potest, ut prædia eorum & agri pro competente censu elocentur, ad honestum victum & vestitum eis suffecturo.

C A P. XVII. De Parochorum victu competente seu honesto.

Illud etiam compertum est, quosdam Pastoratus, cessantibus nunc quotidianis oblationibus, & pia majorum liberalitate, ac forte etiam subtractis & incorporatis decimis, censibus, juribus & obventionibus, majorum liberalitate ac munificentia, ad Pastorum sustentationem & solatium destinatis, ad eam tenuitatem redactos, ut fere sufficienti & honesto vitæ subsidio destituantur; quo fit, ut, magno animarum detrimento, pauci reperiantur idonei, ⁶ qui hujusmodi Ecclesiis præfici desiderant, & multi ad sordida & servilia opera, non levi Ecclesiastici ordinis dedecore, converti cogantur. Cui incommodo occurrere volentes, constituimus & mandamus, ut omnes & singuli Parochi & Pastores, proventus Ecclesiarum suarum, Altarium & Beneficiorum, Nobis aut Nostrò in Spiritualibus Vicario generali, quamprimum exhibeant, cum designatione & intimatione, si quid ab aliis detineatur, aut usurpetur, ut ratio certa iniri possit, qua pastoralî necessitati ac honori, quantum fieri potest, succurratur.

C A P. XVIII. De juribus Ecclesiasticis, piis Foundationibus & officiis conservandis.

Qvibus etiam, & universim aliis Prælati Ecclesiasticis, & Ecclesiarum ministris, serio

¹ Of. c. 4. v. 8.

c. ipsi Sacerdotes. I. q. I.

⁶ extirpanda. de præb. & dign.